

1.

1.

2.

3.

4.


5.

6.

1776, 20.
Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
D E
E X C E P T I O N E T E S T A M E N T I
I N O F F I C I O S I

Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E I I. M A R T. A N N O C I D I O C C L X X V I .
D E F E N D E T
T R A V G O T T E P H R A I M K R V M B H O L Z
C A M E N T I E N S. L V S A T.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.





DE
EXCEPTIONE TESTAMENTI
IN OFFICIOSI.

§. I.

In officiosum testamentum illud vulgo dicunt, *quod recte quidem factum est, sed non ex officio pietatis, ut est apud MARCIANVM in L. 2. π. de inoffic. testam.* Quale vero illud pietatis sit officium, utrum quod moralis doctrina iubet, quodue ad humanitatis praecepta fese refert, et ad imperfetas obligationes respicit, an vero civilis quaedam subintelligenda sit pietatis officii notio, dubium videtur. Magis putem, ad illud pietatis officium respexisse Iureconsultos, quod simul in civilibus institutis sua habet fundamenta. Putarunt enim Decemviri, natura quasi liberis ius perfectum competere in bona parentum, idque eo magis adserendum videbatur, cum sacras alligata bonis ex Pontificum iure communia familias essent, atque in qua communione συνδεστορία illa, quam intestati causam facit BYN KERSHOEK. in

* 2

Obseru.



Obseru. L.II. c. 1. Recte ergo dici poterat, eum, qui a bonis, ad quae ius ipsi competit ex ciuilibus institutis, excludit, agere contra officium pietatis scilicet ciuilis, id est, ex ciuilibus institutis simul introductae. Forsan eo respexit **GAIUS** in *L. 4. π. de inoff. testam.* cum scriberet. *Non est enim consentiendum parentibus, qui INIVRIAM aduersus liberos suos testamento inducunt, quod plerunque faciunt, maligne circa Sanguinem suum inferentes IUDICIVM nouercalibus delenimentis inflictionibusue corrupti.*

§. II.

Hoc ipsum ius successionis intestatae, quod exhereditatione et praeteritione eripi videbatur, et quidem *inuria maligne inferendo iudicium*, id est, cum nulla veraque causa ad esset, od quam eriperentur bona, causam continet, cur non liberi tantum quaererentur apud centumuiros, ad quod iudicium deducendae causae de rescindendis testamentis, ut docuit **CIAVIUS** *Obseru. L.III.c.XXII* sed et parentes, imo et fratres, non alii sanguine et propinquitate iuncti. Testis est **VLPIANVS** in *L. I. π. de inoffic. testam.* Scribit: *Sciendum est, frequentes esse inofficio querelas, omnibus enim tam parentibus, quam liberis de inofficio licet disputare. Cognati enim proprii, qui sunt ultra fratrem, melius facerent, si se sumtibus manibus non vexarent, cum optinere spem non haberent. Non vero ad solam illam ciuilem coniunctionem respexere, etiam simul humanitatis rationem habuere atque pietatis ex procreatione prouenientis.* Hinc **VALFRIVS MAX.** Memorab. *L. VII. c. 7.* cum referret M. Anneum Carseolanum ab aunculo Sufenate adoptatum, quamuis ex sua exiisset familia atque in Sufenatis familiam et sacra transiisset, cum a naturali Patre in testamento esset praeteritus, apud centumuiros testamentum rescidisse, recte obseruat: *ardissimum inter homines procreationis vinculum patris simul voluntatem et principis*



per viri scilicet Pompeii Magni, qui testamentum signauerat,
auctoritatem superasse.

§. III.

Non inquiram in origines introducii huius remedii, multum dixit Corn. v. BYNKERSHOEK. Obseru. L. II. Cap. 22. et HEINECCIVS in *Antiqu. Roman.* L. II. Tit. XVIII. §. 5. Moribus tribuunt quibus et tribuit Ian. a COSTA. Inflit. Lib. II. Tit. XVII. et recte, si ex rebus coram centumuiris iudicatis mores origines coepisse dicas, non ex interpretatione prudentum, nisi illam subintelligas interpretationem, quae per disputationes coram centumuiris facta. His enim disputationibus fictio colorque insaniae tribui absque dubio debet, cuius causa, ut rationem optinerent centumuiri, rescindendi, quasi nullum esset, quippe a furioso factum. An vero nos hodie adhuc hac fictione vtamur, vehementer dubito, quippe inofficiosum in hoc deprehendendum, quod causa exheredationis falsa dicatur. Consentit STRVVIUS in *Euolut. Controv. Exercit. X. Thes. III.* Sed hoc vtitur argumento: *quia Imperator de hac querela constituisset, qui non opus habuisset ad legem aliquam condendam aliquo colore.*

§. IV.

Cum dicatur querela, haud vero actio, hanc referunt docti causam, *quia cognati proprie non accusare et litigare, sed conqueri inter se dicantur, autore aduocato VOSSIO Inflit. Orat. L. I. cap. VI. §. 2.* Sed vix est, ut huic opinioni subscribam. Non enim necesse est, ut contra quem lis moveatur, sit cognatus, conqueritur enim contra heredem scriptum, qui et extraneus esse potest. Imo si respicias quod querela versus demortuum patrem directa, quasi ille furiosus fuerit, cum conderet testamentum: nec me hoc monet, quippe agit filius contra patrem praeiudicio de eo agnoscendo atque alendo. Sic. e. g. apud VULPIANVM in

6

■ ■ ■

L. 3. §. 2. π. de agnosc. alend. liber. agit contra auum nepos.
Ita sane legitur. Quid ergo, si quis post mortem patris na-
scatur auo *superflite*, in cuius potestate recasurus est: ut si ex fi-
lio eius susceptus probetur? videndum, quid dici debeat et certe
probandum est, cum auo *PRAEIVDICIVM* de partu agnoscen-
do similiter *AGENDVM*. Nonne potius dicendum fuisset,
conquerendum esse nepoti, si ea vera nominis ratio esset. Quapropter
potius ea probabilior videtur ratio, quod quasi su-
per valore testamenti apud centumuiros instituta disputatio
seu quaestio dicta, cum *actio* seu *formula* nulla adesset, qua
experiundum fuisset, imo nec *actio* concepi poterat, cum
deficeret ius, quippe ex lege per imperium paternum liceret
exheredare filium. Non ergo agi poterat, cum stricto iure
valereret, at queri licebat, quod exheredando contra pietatis
officium actum sit.

§. V.

Quae cum ita sint, quoties ex Iustinianeo iure filius ex
festa quidem, sed quam falsam dicit causam, ab hereditate pa-
terna exclusus est nominatim, recte querelam illam inoffi-
ciosi mouet, contra heredem, qui ex illo testamento, in
quo filius exclusus, hereditatem adiit. Petit itaque, ut tan-
quam inofficiosum rescindatur, simulque petit, ut pro inte-
stato herede declaretur. Inuoluit itaque ipsa querela inoffi-
ciosi hereditatis petitionem intestatam per fictionem prius
remoto testamento. Iam sicut agit, si heres adiit heredita-
tem, ita potest moueri quaestio, an ea querela filius per
modum *exceptionis* possit vti. Fac mortuo patre filium he-
reditatem patris possidere, eundem vero a patre in testa-
mento iuste at inique esse exheredatum; cum, qui possidet,
non agat in rem, recte expectabit, donec institutus heres
petat hereditatem. Ea vero instituta petitione repellere an-
nititur



ninitur exceptione inofficiosi scriptum heredem, seque in hereditate intestata tueri: quaeritur: an recte?

§. VI.

Si verum est, quod teste VLPIANO in L. I. π. de Except. Praefr. et praeiud: Agere is videatur, qui exceptione vtitur, nam reus in exceptione auctor est, omnino filius loco actionis recte exceptione vtatur; nam excipiendo querelam mouet contra testamentum, quod sit inofficium. Quare recte BOEHMERVS de Actionb. Sect. II. Cap. III. §. 19. hanc testamenti inofficiosi exceptionem inter eas numerat, quae hereditatis petitioni obiici possunt. Sed opposita hac exceptione quaeritur, quis probare teneatur, vtrum filius, falsam causam esse, an heres causae veritatem probare obstritus sit. Puto omnino auctorem, qui replicat veram esse causam, hanc probare debere veritatem. Non enim tantum causa, quare filius exheredatus, vera esse negatur, vt propterea, vti in negatiuis obseruatur, filius a negatiua illa probatione liberandus, verum etiam praesumtione iuris, donec probetur contrarium, tutus erit. Cum enim per leges quilibet bonus praesumitur, non potest filius ingratus haberi, et ideo causa a patre exheredationis eo ipso pro vera non habenda, donec docuerit heres, eandem veram esse.

§. VII.

Tandem grauior legibusque vix decisa datur dubitatio, an et exceptio inofficiosi testamenti intra quinquennium sic opponenda. Constat enim querelam ipsam praescriptione quinquennii tolli. Posset itaque concludi, cum in locum ipsius querelae opponatur exceptio et excipiendo quasi auctor considerandus sit, omnino intra quinquennium opponendam. Neque haec ratio verisimilitudinis atque probabilitatis argumento destituitur. Tamen in contrariam potius abire malo opinionem, eamque, quousque hereditas peti potest, eo usque



que etiam hac exceptione filium vti posse puto. Sicut enim querelae inofficiosi praescriptionis tempus breuius in odio ob patri iniuriam illatam facto furore querendum, quod odium amplius vix extabit, maxime in exceptione, quae ex falsa causa exhereditationis erroris arguit patrem, non furoris; ita cessante odio, ad effectum ex odio prouenientem vix respici poterit. Dein cum filius hereditatem possidet, vt propterea agere ipsi necesse non sit, hac exceptione prius vti nequit, quam si heres aget ex testamento. Cum iura vero heredi concedunt, vt intra triginta annos adhuc agere possit, necesse est, vt sua exceptione eo tempore se tueri possit, quo actio contra eum mota. Secus vero in querela, vbi ab arbitrio filii pendet, an querelam mouere velit, tunc negligentia imputanda filio non agenti, quae cestat in filio non excipiente, si contra eum non agatur.



Leipzig, Diss., 1776 A-G


f



TA-706

aus 34 Steck bisher verku.

V D
18



Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I
D E
**EXCEPTIONE TESTAMENTI
INOFFICIOSI**
Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
DIE II. MART. ANNO C I C I C C L X X V I
D E F E N D E T
TRAVGOTT EPHRAIM KRVMBHOLZ
C A M E N T I E N S. L V S A T.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

